DECRETUM

SALUBERRIMÆ FACULTATIS PARISIENSIS
in gratiam Pauperum ægrotantium.



ANNO Domini millesimo septingentesimo trigesimo-primo, diebus Martis vigesimo-quinto Septembris, Lunæ primo Octobris & Veneris quinto ejusdem mensis, horâ decimâ matutinâ, ter legitimè convocata est Facultas, de pio erga pauperes ægros officio, singulis Sabbati diebus exequendo deliberatura. Cùm animadverteret consilia Medica in gratiam pauperum ægrotantium jam dudum instituta, maximum Civibus emolumentum afferre, nec parùm etiam Ordinis dignitati consulere, ut tam sapientis instituti recordatio Doctorum memoriam sæpiùs recoleret, neve temporis lapsu infirmaretur aliquantisper hujus officii pietas, CENSUIT consilia illa Medica anno 1639 primùm instituta, ampliata & Senatûs autoritate confirmata anno 1644, diligenter esse continuanda, visendos accuratè & omni ope Medicâ sublevandos esse pauperes ægrotantes; Quam ob rem singulis Sabbati diebus, sex Doctores, tres majoris, totidemque minoris ordinis, per Apparitores antea moniti, in Scholas superiores, post Sacrum in Scholarum Sacello celebrari solitum, unà cum Decano conveniant, ita ut juniores horâ decimâ matutinâ, seniores horâ undecimâ accedere, omnesque usque ad meridiem remanere teneantur, ibique sedulò examinatis pauperum morbis, Medica consilia humaniter &

ſcripto largiantur. Sed ne propter Doctoris deſignati alicuius abſentiam incuriamve, deſint pauperibus conſilia, ſinguli Doctores aulici, abſentes, & cauſarii, alium Doctorem in ſui locum ſufficere tenebuntur. Si quis verò è deſignatis Doctoribus vel horâ præſcriptâ, vel omninò non adfuerit, vel abſens, ægrotanſve alium Doctorem aſſiduum in ſui locum ſubſtituere neglexerit, mulctabitur ſummâ duarum libellarum, quæ quidem mulcta, in Facultatis emolumentum ceſſura, in proximis quibuſcumque diſtributionibus à Decano retinebitur, & ſic unanimi omnium conſenſu concluſit

H. T. BARON, Decanus.

DATUM in Scholis ſuperioribus diebus 25 Septembris, 1°. & 5°. Octobris anni 1731.

Typis G. F. QUILLAU Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.